


MH
102.1
F 91



Kirtiboro, 1899





SPECIMEN INAUGURALE
BOTANICO-CHEMICUM

D E

CAMPHORA,

Quod

SUB PRAESIDIO DIVINO,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

I N

ALMA RAURACORUM UNIVERSITATE,

P R O

GRADU DOCTORIS,

Statim post Actum Disputatorium,

rite impetrando,

P U B L I C E D E E N D E T .

SAMUEL FRIDERICH
HELVETO-TOBINIENSIS

d. II. Junii 1771.

H. L. Q. S.



B A S I L E Æ ,

Apud J. SCHWEIGHAUSER.

*VIRIS
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSLIMIS,
MUNERUM DIGNITATE SPECTATISSLIMIS,
EXPERIENTISSLIMIS,*

*SAMUEL RINGER,
CIVITATIS TOBINIENSIS CONSULI GRAVISSIMO,
MERITISSIMO, SUO E SACRO FONTE
SUSCEPTORI PERPETIM COLENDO,*

*JOH. RODOLPHO SUTER,
EJUSDEM CIVITATIS CONSULI DIGNISSIMO,
CONSULTISSIMO, REDITUUM COENOBII
ST. URBANI CURATORI INTEGERRIMO,*

*SAMUEL SEELMATTER,
FILIO, MED: DOCT: & APUD TOBINIENSES
PRACTICO FELICISSIMO,
EXPERIENTISSLIMIS, SUO E SACRO FONTE
SUSCEPTORI PLURIMUM HONORANDO,*

*SAMUEL FRIDERICII,
PHARMACOPOLÆ & CHEMICO DEXTERIMO,
PARENTI SUO OMNI FILIALI
OBSERVANTIA PROSEQUENDO,*

*HAS SUAS STUDIORUM MEDICORUM
Primitias in addictissimi devotique animi
MONUMENTUM
ea, qua decet, Observantia exhibet*

AUTOR:



§. I.



AMPHORA est substantia sicca , alba , subpellucida , splendens , friabilis , subpinguis , inflammabilis , summe volatilis , odoris singularis , fragrantissimi & penetrabilissimi , saporis amaricantis , acris & fere urentis .

§. II.

Vocatur etiam Camphura , Caphura , Cafura , Gumi-
mi vel Resina Camphoræ , Arabice Caphur , Cafur , Ca-
pur , Græce Καφρα , Καμφρα , Gallice Camphre , Italice
Canfora , Anglice Camphire , Germanice Campfer , Kampfer ,
Gampfer .

§. III.

Plerique hanc vocem ex arabica lingua derivandam
esse censem , cui etiam sententiæ eruditissimus SALMA-
SIUS in Exercitat . de homonymis Hyles jatricæ cap . 110 .
adstipulari videtur . Alii hebraicæ originis putant . Ma-

A

gis

gis autem arridet ILL. RUMPHII opinio, ab Indis
hocce verbum accepisse Arabes, verumque nomen esse
Malaiense desumptum ex similitudine cum calce alba, quæ
ibi Caphur vocatur.

§. IV.

Vegetabilis originis Camphora ex variis arboribus
aliisque stirpibus vel sponte lacrymarum sub specie ex ipso
ligno intra corticem exsudat vel vario artificio obtinetur.

§. V.

Ignotæ veteribus Camphoræ primi, quantum scio,
mentionem fecerunt Arabes, SERAPIO, AVERROËS,
AVICENNA, ex quibus recentiores Græci, AëTIUS,
SIMEON SETHUS &c. sumserunt. In varias distingue-
bant Arabes species, forma externa, qualitate, origine &
pretio multum diversas. Qui plura circa veterem Cam-
phoræ historiam scire desiderat, adeat CEL. SALMA-
SIUM loc. cit.

§. VI.

Recentiores navigatores Indiarumque historiæ natu-
ralis scriptores fere omnes Camphoram in duas prima-
rias species distinguunt Borneensem vel Sumatranam (quas
specie haud differre puto) & Japonicam.

§. VII.

Obtinetur porro & ex aliis arboribus stirpibusque
vario artificio Camphora, v. g. ex Cinamomo vero, Ca-
nella Malabarica, Zedoaria, Schoenantho, Mentha, Car-
damomo,

damomo, Junipero, Millefolio (præcipue nobili), Abrotano, Helenio, &c. quas, ne præfixos Dissertationis limites transgrediamur, nominasse sufficiat.

§. VIII.

Borneensem vel Sumatrensem Camphoram arbor largitur in insulis *Borneo*, *Sumatra* &c. sponte proveniens, cujus quidem variæ sed mancæ extant descriptiones, ut de genere & specie ejus hactenus nondum constet.

En præcipua ejus Synonima.

Camphora Arbor, quæ Salicis folio dicitur **GARCIÆ AB HORTO Arom.** *hifl.* pag. 40. vers. Clusian. **JOH. BAUH.** *Hifl. plant.* T. I. P. II. pag. 338.? Videtur.

Arbor Camphorifera **LIONO** dicta **MATTH. SLADI** apud **BOCCONE** *Recherch. & Obs. natur.* pag. 268.

Arbor Camphorifera **AREN'T SYLVII** ap. **VALENT.** in *Ind. literat. Epistol.* 32.

Arbor Camphora **GRIMM** *Misc. Nat. Curios.* Dec. II. Ann. I. pag. 371. cum iconè rudi.

Camphora Arbor Sumatrana **TEN RHYNE** ap. **BREYN.** *Prodr.* I. pag. 13.

Arbor Camphorifera Sumatrana, foliis **Caryophilli aromatici** longius mucronatis, fructu majore oblongo, calyce amplissimo *Tulipæ* figuram quodammodo repræsentante. **BREYN.** *Prodr.* II. pag. 44.

Crescit in orientali India præcipue insulis Sumatra, Borneo &c.

Arborei modumque Camphoram inde colligendi sequentem in modum ARENT SYLVIVS loc. cit. describit:

Arbor Camphorifera in diversis succrescit sylvis, absque ulla quidem sive cultura sive cura humana, sua sponte, instar aliarum sylvestrium, in truncum assurgens excelsum atque gravem, eumque simplicem & rectum, qui optimum ad rem ædilem lignum suppeditat. Ramis illa gravioribus nullis aut paucissimis est prædita, sed levissimis in complexu foliorum, qui juxta proportionem trunci quoque exiguus est.

Folia oblonga & figuræ ovalis sunt, apice prolixè extenso prædita, coloris obscure viridis, &, si exsiccata sunt, dura & tenacia, odorem Camphoræ spirantia: quæ omnia de arbore Camphorifera Barosiensi intelligenda sunt, cum in Japanica folia longe aliter formata sint, prioribusque majora.

Cortex proportione & collatione cum ipsa arbore instituta elegans satis & rubescens appareat, qui ob ætatem & crassitatem arboris, una cum interiori, sæpe maximis squamis inde delabitur: quo ipso arbor hæc ab aliis ex parte dignosci potest; juxta quod etiam radicibus sursum versus repentinibus gaudet, quæ ut plurimum ad viri longitudinem supra solum in truncum solidum & densum colliguntur & abire videntur.

Fructus, qui ob insuperabilem arboris altitudinem raro obtinentur, flori magis quam fructui similes sunt, dum diversis oblongis & crassiculis foliolis diversicolorebus.

ribus, maximie tamen rubris, purpureis, flavis & viridescentibus, fructus ad instar nucum avellanarum Hollandicarum amplexantibus, decore ornati sunt: utut fructus arboris Camphoriferæ neutiquam, ut nuces avellanæ, corticibus duris muniti, multo minus foliolo superinducto, nec acutis, sed rotundis apicibus in summitate fructuum instar tuliparum se aperientibus, instructi sint. Fructus hic, (qui, ut ipsa folia, camphoram sapit) non tantum ad Medicinam utilis est, sed & esui infervit: prout eundem ante 2 vel 3 circiter annos tam viridem quam conditum palato non ingratum reperi. Quod vero eundem hac vice Nobilitati tuæ re ipsa ostendere & communicare non valeam, non tantum periculo sylvarum, sed & effluxui temporum adscribendum.

Arbor hæc, si crassa & magna est, resinam suam, instar arboris Benzoini, non plorat. Intus autem circa ineditullum aut cor à parte inferiore ad superiore rimæ naturales aguntur, in quibus succus arboris proprius & genuinus se colligere videtur, vel illi particulæ quædam subtile adhærent, quæ temporis successu coagulantur & in festucas abeunt, quæ ligno adhærent & pedetentim plus minus in crassitie augentur, prout arbor pluribus edendis par est, aut ipsa apertura admittit.

Illi jam, quorum munus est curam agere Camphoræ, arbores illas, si per certa indicia externa easdem Camphora scatere existiment, exscindere jubent, & easdem foliis, cortice & exteriori ligno, usque ad meditullum seu cor, proxime ad aperturas & rimas, privari, contundi & comminui curant, ubi ipsa Camphora tanquam in venis suis elegantissime & mirabiliter apparet, quam parvulis suis instrumentis à ligno separare & abradere norunt: quo ipso tandem, prævia depuratione Camphoræ

abrasæ, pro labore & opera sua 1. 1 $\frac{1}{2}$. 2. 2 $\frac{1}{2}$ usque ad tres libras Camphoræ (quæ Catti Barosiense constituunt, ultra quod pondus, ut ipsi perhibent, raro adscendunt) obtinent, de quibus ordinarie partem vigesimam exsolvent, ejus autem quod residuum est plenarii possessores manent.

Hic vero notandum, quod, cum per contusionem ipsius ligni suffimigium plurimum aëris in se suscepere, illud intra quinque vel sex septimanas penitus exhalet nihilque quam lignum, cum paucō odore, remaneat, prout idem per inquisitionem in similibus in Poulo Moafelaer succisis & contusis frustis ligni camphorati observatum fuit. Quid quod & oleum Camphoræ, quod essentialis arboris succus est, &, ut nobis relatum fuit, per aperturas & cavitates arboris exstallat & colligitur, tam subtilium quoque partium est, ut chartula oleositate imbuta & accensa flamمام celerrime & indicibiliter se propagantem præbeat, donec oleum penitus consumptum sit: quod omni tempore & loco probari poterit.

Adde hisce ex C E L. T E N R H Y N E relatione ap. BREYN. loc. cit. sequentia:

Hæc autem Sumatrensis Camphora cara admodum, at incerti pretii juxta frustulorum magnitudinem & splendorem, friabilis, levis & facile solubilis est; hæc naturæ, uti Japonum illa artis est soboles; posterior vi producta, prior spontaneo illicio nata, solo odore cardiacas emittens vires, uti Sinæ & Siamenses sibi persuadent; id ego saltem in me ipso expertus sum Japonicæ Camphoræ odorem cephalæam mihi nauseamque, Sumatrensis vero refocillationem excitasse. Addunt Sinæ & Japones, hanc sive de Baros sive à Borneo Camphoram stomachi halitus ac vapores deprimere, viscerum obstrunctiones corrigere &c. Hactenus T E N R H Y N E.

Hæc

Hæc autem de Borneensi s. Sumatrensi Camphora sufficient, imprimis cum tam cara & rara sit, ut vix ac ne vix quidem in Europœis officinis prostet.

Qui vero plura de ea arboreque eam suppeditante scire velit conferat CL. GRIMMI Descriptionem loc. cit. TEN RHYNE modo excitatam relationem & imprimis CEL. RUMPFIUM in *Auctar. Herbar. Amboinens.* pag. 65. seqq.

§. IX.

Altera Camphoræ species, eaque præcipua & quæ sola fere in Officinis nostris venalis prostat, vocatur: Camphora Japonica s. Chinensis & ex India orientali cruda adhuc s. impura multisque sordibus inquinata in *Belgium* advehitur, ibique nova sublimatione infra describenda depuratur & in magnis orbiculatis glebis per reliquam inde Europam divenditur.

Arbor, unde hæcce Camphora obtinetur, vocatur:

Arbor Camphorifera Japonica BREYN. *Cent. plant. rar.* p. 11. seqq. c. icone pag. 12. & in append. pag. 1. seqq. Icon ramum absque flore sistit, quem à WILHELMO TEN RHYNE Imperatoris Japoniæ Medico anno 1674. obtinuit.

Arbor Camphorifera Japonica BREYN. *Prodr. Fascic. rar. plant.* I. pag. 7. *Fascicul.* p. 16. *Tab.* II. ead. icon ac in *Centuria addito flore & fructu. Ephemerid. Nat. Curios.* Dec. I. Annus IV. & V. pag. 139.

Arbor Camphorifera Japonica, foliis laurinis, fructu parvo,

parvo, globoſo, calyce breviſſimo E juſd. *Prodrōm.* II. pag. 44. COMMELIN. *Hort. Amſtel.* Tom. I. pag. 185. cum propri. ic.

Camphorifera Arbor, ex qua **Camphora Officinarum HERMANN.** *Hort. Lugd. bat.* pag. 113.

Arbor Camphorifera Japonensium Kusnoki dicta CLEYERI Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Annus 10. pag. 79. cum icone non bona.

Laurus Camphorifera, literatis nomine characteris Sfio, vulgo Kus no ki, aliis Nambok dicta KÆMPE. *Anænit. exot.* pag. 770. c. bona icone pag. 771.

Camphora Officinarum BOERH. *Ind. alt. P.* II. pag. 261.

Camphora BLACKWELL Herbal. Tab. 347. propria icon ramulum foliis & fructu onustum fistens ex collectione CEL. SLOANE desumptum.

Sfio, vulgairement Kus-no-ki, autrement Nambok CHARLEVOIX *Hist. du Japon* Tom. VI. p. 179. c. ic. Edit. de Paris. 1754. in 12°.

Laurus foliis ovatis, utrinque acuminatis, trinerviis, nitidis, petiolis laxis. LINN. *Hort. Cliff.* pag. 154. ROYEN. *Prodr. fl. Leyd.* p. 226. WACHENDORF. *Ind. Hort. Ultraj.* pag. 259.

Laurus foliis lanceolato-ovatis, trinerviis, nervis supra basin unitis LINN. *Mat. Med.* pag. 65. n. 192. *Spec. plant.* Edit. I. Tom. I. pag. 369. n. 3.

Laurus

Laurus (Camphora) foliis triplinerviis, lanceolato-ovatis LINN. *Spec. Plant.* Edit. II. Tom. I. p. 528. n. 3. *System. Nat.* Edit. XII. Tom. II. p. 280. n. 3.

Crescit copiose in sylvis *Japoniae occidentalis*, maxime in provincia *Satzuma*, insulisque adjacentibus.

Arborem hancce eximius peregrinator KÆMPFER-
RUS loco citato sequenti modo optime describit:

Arbor est sylvestris, in *Japonia occidentali* & adjacentibus insulis in lætam vastamque *Tiliæ magnitudinem* adolescens. Radice nititur valide ac parum brachiata, quæ Camphoram præ ceteris partibus spirat & coctione impertitur. Cortex quodammodo est scaber, coloris pulli, in ramis junioribus levis, viridans, nitens, interiori superficie glabra & mucosa, adeoque facile abscedens.

Medulla magna, fungosa & lignosa. Lignum candidum, per siccitatem ex rufo variegatum, substantiæ laxioris ex fibris crassiusculis compactæ, aliquando serviens pro fabricandis scriniis, sed quorum superficies per vetustatem asperatur, dum volatilis resina poros destituit. Pediculis carinatis, tenuibus, fuscuncialibus, nonnumquam ex viridi rubentibus infistunt folia promiscuo loco singula, membranacea, triuncialia vel longiora, ex brevi acuto principio ovata, mucrone oblongo angusto, margine integro undulato, non raro tenui pallescente virgula fimbriato, supina facie faturo virore imbuta ac micante, dorso herbaceo & quasi holoserico, nervo uno medio utrinque prominulo ex viridi albicante, & paucis nervis lateralibus ad ambitum arcuatim protendentibus, quos vagi minores pro firmitate folio concilianda intercurrunt. In nervorum finibus non raro verruculas

B observa-

observamus, quas huic Lauro proprias dixerim. Flosculi in fastigiis ramulorum, sed arboris provectæ ætatis & magnitudinis mense Mayo Junioque inter foliorum axillas prodeunt, pediculis nixi biuncialibus, tenuibus, in fine racemosis ac in pediculos brevissimos singulis perianthiis præparvis instructos divulsis. Sunt flores albi hexapetali, intra seminis coriandri ambitum radiantes, petalis ovatis, staminibus apicatis novem, ea dispositione locatis, ut terni medium stylum premant, hos ceteri in orbem ambient, intercepti singulis tuberculis, carnosis, exiguis, luteis, mollibus, umbilico laxe adnatis. Florem, accrescente calyculo, Bacca excipit per maturitatem atropurpurea & splendens, magnitudine pisi majoris, figuræ quodammodo turbinatæ, pericarpio molli purpurascente, saporis ex Camphora caryophyllacei, nucleo intus piperis magnitudine, corticula nigra mican te obducto, bifido, oleoso, saporis fatui.

§. X.

Methodus Camphoram ex modo descripta arbore obtinendi a variis autoribus varie describitur.

C_EL. KÆMPEFERUS afferit radices & ligna in festucas comminui, cum affusa aqua coqui in vesica ferrea, impositoque capitello fictili ampio & (ne ex vapore rumpat) rostrato sublimatam resinam excipi, stramini, quod capitellum replebat, adhærentem. Eandem fere methodum describunt C_L. CLEYERUS & MATTHEUS SLADUS.

Alium paulo camphoram præparandi s. potius extra hendi modum exponit C_EL. TEN RHYNE apud BREVI NIVM in *Prodr.* I. pag. 12. sequentibus verbis. Præcinduntur

duntur autuminali tempore grandiusculæ Camphoriferæ arbores, evelluntur radices & in majusculas assulas discinduntur: Construitur ex lapidibus & argilla furnus, huic ferrea olla, furni capacitatí apta, imponitur, cui paulo supra cavitatis medium craticula inseritur, fundoque infunditur lympha; craticulæ ad ollæ repletionem dicta injiciuntur ramenta; dolium pro recipiente ligneo vel sublimatorio vasculo, ollæ lateribus apprime congruo, magis tamen versus apicem acuminatum, superimponitur; hinc construitur ignis, ut aquæ vapor excalefactus elevetur, illasque assulas mollificet & gummi eliciat; atque ita in processu vi ignis Camphora hæc in receptaculum sublimatur, quod evectum evocatumque gummi eximitur, ubi nova radicum ramenta, reliquis abjectis ad idem opus in ollam rejiciuntur &c.

Tertiam denique (ut alias veri minus similes omittamus) methodum tradit R. P. D'ENTRECOLLES Missionarius Chinensis *Lettres édifiantes & curieuses* 24^e. recueil p. 415. suiv.

Pour retirer le camphre, on fait bouillir dans l'eau les branches & les racines du Camphrier, on remue continuellement avec un bâton, & lorsqu'on s'aperçoit, qu'il s'attache à ce bâton une espece de gelée blanche, qui n'est autre chose que la matière camphrée, on retire du feu & on passe; on laisse la matière, qui à passé, en repos pendant une nuit, & le lendemain on trouve le camphre coagulé en une masse.

§. XI.

Cum, uti supra jam diximus, Camphora ex *China & Japonia* in *Belgium* allata flavicans vel grisea, multisque sordibus & quisquiliis inquinata sit, depurazione eget, antequam in usus medicos recipi possit. Hæcque depuratio olim *Venetiis* peragebatur, nunc vero unice *Amstelodami* instituitur, & a C. L. HÆNEL in Dissertatione sua inaugurali de *Camphora* Leydæ a. 1739. impressa sequenti modo describitur:

Camphoram crudam, festucis ligneis majoribus abjectis, comminuunt in pulverem grossiorem, & træjiciendo per cibrum amplioribus foraminulis gaudens majora frusta separant. Hujus pulveris binas libras cum dimidia circiter immittunt in vas vitreum, phialæ depresso sphæroideæ simile, instructum collo angusto, aliquot pollices alto. Exstructi sunt furni in amplo altoque ædificio, horreo simili, ea lege, ut ad parietes sibi invicem continui sint, quadraturæ exterioris duorum circiter pedum. Singuli sunt instructi balneo arenæ. Anterior aperturæ factæ sunt pro pabulo ignis immittendo, cineribusque eximendis. Hisce balneis arenam ingerunt ad aliquot pollicum altitudinem, cui vasa Camphoram continentia modo superimponunt, quod ideo fit, ut, quæ Camphoræ mutatio intus contingat, animadverti possit. Ignis tunc subministratur talis per aliquot horas, ut Camphora instar aquæ liquefaciat, & humiditas exhalet, collo vasis ad hunc finem aperto existente. Ne vero humiditas superiori parti vasis frigidiori, guttulis roridis sepe adplicet, quibus relabentibus vas finderetur, superimponuntur triplicati panni orbiculares, in medio foramen rotundum habentes, pro colli vasis transmissione.

Hi

Hi orbiculi sunt tantæ altitudinis, ut vas fere ad medium usque altitudinem operant, qua ratione etiam vas superius tam fortiter incalescit, ut aquosi vaporess neutiquam coagulari possint, sed exturbentur eandem ob causam. Nec Camphora sese ibi applicare potest, sed, vel fortiori hoc æstu liquefacta refluit, vel superius expellitur.

Antequam enim humiditas omnis exhalavit, nunquam Camphora in pellucidum & solidum segmentum concrescit. Quum vero multa Camphora simul exhalet, superimponunt aludulum conicum de charta emporetica confectum, cui flores Camphoræ adhærent. Ignis sic per aliquot horas continuatus imminuitur, aludulus cum pannis superimpositis aufertur, & loco ejus similis discus perforatus applicatur; quo efficitur, ut Camphora, quæ sublimatur, huic, utpote tum paulo frigidiori, parti vasis, adcrescere possit, adhuc tamen adeo fervidæ, ut particulæ Camphoræ liquefieri incipientes, in unam, solidam, pellucidam massam abeant. Vas interea cono chartaceo operit inverso, ut libera exhalatio impediatur. Augetur rursus ignis, moderate tamen, donec omnis sublimata fuerit, relictis in fundo quisquiliis. At, quum floribus & sublimato Camphoræ orificium phialæ penitus obturari possit, stylo ferreo intruso apertum semper servant collum, floribus rejectis in fundum. Hoc nisi observatur, disjiciuntur vas, non sine periculo. Vasa de frigefactis sponte furnis auferuntur, franguntur, camphora in segmenti forma eximitur, & flores, quæ interiori ejus superficie accreverunt, una cum parte sublimati cultro absinduntur, atque in aliam operationem adservantur. Habetur sic segmentum crystallinum, in medio perforatum, Camphoræ. Facile igitur unusquisque videbit,

encheireses traditas omne negotium & artificium absolvare.

§. XII.

Sequitur nunc, ut qualitates Camphoræ sensibus patentes paulo curatius perpendamus, & de chemicis experimentis, hactenus cum ea institutis, indeque detectis principiis ejus constitutivis, breviter agamus.

§. XIII.

Camphora libero aëri, imprimis calido, exposita fati brevi tempore tota evanescit, nullum sui vestigium relinquens, ut etiam chartæ ligneæque pyxidis poros penetret, quinimo tanta est ejus volatilitas, ut etiam alia corpora, cum quibus unita est, secum in auras rapiat, cuius rei exemplum memorabile suppeditat Unguentum saponatum ex Sapon.: Venet: ȝij cum ▽: font: ℥ ad unguenti consist. coct. add. Acet: Lytharg: ȝȝ & Camphor: ȝij. paratum, quod in olla charta cerata & vesica optime clausa servatum spatio 6 hebdomadum totum quantum in auras abivit.

§. XIV.

In cochleari stanneo, super prunas carentes calefacto, cito liquefcit sub olei leviter flavicantis specie & mox in halitus grate fragrantes resolvitur.

§. XV.

Odorem suum æque ac saporem reliquaque qualitates integras servat, etiam aëri libero permissa, quamdiu vel minutissima ejus particula supereft.

§. XVI.

§. XVI.

Valde inflammabilis est, & accensa lucidamflammam alit, neque in aqua neque in nive extinguendam, densumque & atrum fumum spargentem, nullo cinere neque carbone remanente.

§. XVII.

Aquæ innatæ, neque ab ea solvitur, ut tamen particulæ nonnullæ aquæ immiscantur, illique odorem camphoræ communicent. In calida aqua liquefcit & brevi tota avolat.

§. XVIII.

In oleis unguinosis & stillatitiis quidem solvitur, calorem tamen aquæ bullientis calori haud multum inferiorem hæcce solutio requirit, & sub hac solutione plurimum volatilitatis suæ perdit.

§. XIX.

In Spiritu Vini rectificatissimo facile & ad æquales partes solvitur. Hac solutione calido aëri permissa spiritus prius evaporat. Destillata iterum spiritus primo solus ascendit, demumque camphora sublimatur, unde patet quam ridicule nonnulli Spiritum Vini camphoratum per destillationem preparare jubeant. Accensa hacce solutione spiritus denuo primus ardet & consumito demum eo camphora flamمام concipit, aliter coloratam, multaque fuliginem eructantem.

§. XX.

§. XX.

Cum amygdalis excorticatis trita & subacta solvitur, earumque ope in aqua suspendere se sinit.

§. XX.

Etiam in vitello ovi solvi potest, ad scrupulos duos, & ita aquosis mixturis addi.

§. XXII.

Sacharo multo difficilius jungitur, neque satis cum eo cohæret, ut aquosis misceri facile possit.

§. XXIII.

Oleum Vitrioli Camphoram perfecte solvit indeque ex rufo-fuscum, imo nigricans evadit. In frigore quidem quantitatem Camphoræ, quæ in oleo Vitrioli solvi potest, hujus quantitatem aliquoties excedere, in calore vero incredibilem Camphoræ copiam liquefactam cum Vitrioli oleo in bituminosam, spissam, fuscari substantiam abire afferunt. Inter solutionem prorumpit odor à Camphora diversus, bituminosus, sulfureus, graveolens. Aqua vel Alcali quodam ex hac solutione dis juncta Camphora eadem redit ac antea fuerat.

§. XXIV.

Cum Spiritu Nitri eo majori quantitate potest uniri, quo concentratus est acidum, inque oleofum liquamen cum eo abit, aquæ acidi superfluæ innatans.

§. XXV.

Etiam vegetabile acidum valde concentratum Camphoram

phoram solvit, teste HÆNELIO l. c. aliis tamen, neque infimæ classis, Chemicis contrarium affirmantibus.

§. XXVI.

A spiritu salis intacta manet.

§. XXVII.

Neque alcalia fixa & volatilia ullam vim in eam exferunt.

§. XXVIII.

Ab aqua regis, ex acido nitri & ammoniaco sale facta, ob acidum nitri solvitur.

§. XXIX.

Ex omnibus hactenus dictis solutionibus Camphora præcipitata prorsus immutata deprehenditur.

§. XXX.

Destillatione etiam minime in principia sua resolvi posse ex methodo eam depurandi abunde patet.

§. XXXI.

Liquet hinc Camphoram esse substantiam nulla arte hactenus decomponendam, de cuius adeo principiis s. partibus constitutivis vix certi pronunciare licet.

§. XXXII.

C. tamen NEUMANNI & aliorum sententia haud displicet, Camphoram ex plurimo phlogisto s. principio inflammabili, pauca eaque subtilissima terra, & paucissima aqua esse compositam, quod assertum sequentibus argumentis adstruunt. I. *Phlogiston* demonstrant, quod facile inflammatur Camphora, & vehementer ardeat, ut extingui

vix possit, ex odore penetrante &c. II. *Aqua* inde eluet, quod absque ea copiosum Camphoræ inhærens principium inflammabile ardendo flammam haud edere possit. III. *Terra* patet ex solida, sicca & crystallina Camphoræ forma, exque fuligine, quam ejus flamma eructat.

§. XXXIII.

Multum hactenus a præcipuis Autoribus disputatum fuit, cuinam Camphora classi corporum naturalium vel ex naturalibus eductorum adnumerari debeat, pluribus eam ad resinas, aliis ad olea essentialia, nonnullis ad salia volatilia oleosa, paucis ad gummi vel gummi resinas referentibus, ut alias à vero nimis abludentes opiniones omittamus.

§. XXXIV.

Hæc diversas opiniones optime refutat C E L. NEUMANNUS in *Miscell. Societ. Reg. Berol. Contin.* II. p. 72. cuius ipsissima verba heic exscribere liceat.

Camphora (inquit) 1) Resina dici nequit, quia (quod etiam D O M. P R O F. H O F F M A N N U S adnotavit) a) omnes resinæ, post combustionem, cineres vel aliis terrei aliquid relinquunt, Camphora e contra plane nihil, sed tota deflagrat, & in auras avolat; b) nullæ resinæ in vase clauso penitus & in totum elevantur ab igne seu sublimantur, quod tamen cum Camphora succedit: c) resinæ, ubi destillantur, phlegma præbent, & oleum, partim etiam spiritum sic dictum, camphora vero horum nihil; d) nulla plane resina est, quæ ad instar Camphoræ in spiritu nitri solvi queat; e) nec ulla datur, quæ æque cito, & in tanta copia in spiritu vini colliqueat; f) neque talis, quæ in aqua calida, camphoræ instar, avolet. 2.) Multo minus Camphora sal volatile dici potest, quia in aqua non solvitur, nec cum aqua intime, quin videri possit, misce-

miscetur, quam tamen solutionem invisibilēm cuncta salia admittere debent necessario, ut supra jam commemoratum est. 3) Quamvis autem Camphora oleosum mixtum, vel ex oleo condensatum corpus sit, ideo tamen simpliciter oleum vocari nequit, æque ac alia mixta solida oleo prægnantia, siquidem olei nomen liquidis præcipue vel ad summum tenuiter unguinosis, minime vero solidis & siccis subjectis tribuitur & convenit, neque ullum oleum in sicca substantia, ceu Camphora, sublimari potest. 4) Succi nomen Camphoræ non convenit, quia succi proprie dicti mixtionem, a) vel gummosam, quæ in aqua facile totaliter liquefcit, b) vel gummi-resinosam, quæ partim in aquoso, partim in oleoso, inflammabili, spirituoso, & simili solvit, c) vel resinam obtinuerunt, qui posteriores resinæ proprie dicuntur, de quibus jam sub numero 1. dictum est, quarum proprietatum nulla Camphoræ convenit. Nam, si omnia ea, quæ ex arboribus aliisque vegetabilibus partim sponte proveniunt, vel a natura & sole provocantur, partim etiam per artē parantur, quamvis autem in tota planta ejusque succo, & partibus aliis dispersa & commixta fuerint, succos vocare quis vellet, quantam non confusione inceptam, & conceptu impossibilem pararet in describendis rerum essentiis? Sic enim omnis aquæ, succi, gummi, olei, balsami, resinæ, similiumque diversitas periret, verbaque hæc distinctiva nullius plane usus forent. 5) Camphoram etiam gummi vel bitumen non esse, ex prioribus jam satis patet, quicquid enim gummi vocatur, penitus in aqua colliquefcit, sicuti bitumina maximam partem in ea solvuntur, ambo vero sublimationi refragantur, quam Camphora tamen admittit.

§. XXXV.

Cum igitur (continuat laudatus NEUMANNUS) nihil in orbe terrarum cognitum sit, quod cum Camphora

comparari possit, æquum etiam est, ut suo quoque nomine singulari & specifico insigniatur, per quod, si res quædam dicatur Camphora, statim intelligatur, eam neque oleum, neque gummi, sal volatile, resinam, spiritum, neque bitumen, sed plane aliam, & a dictis his diversam esse materiam, mixtum nempe ex ingredientibus, camphoram veram constituentibus, concinnatum, indolis specialissimæ. Unde quæstio, an sal, vel gummi, resina, vel succus sit, æque inconveniens, & supervacanea judicabitur, ac si quis querere velit, an sal sit oleum, vel an gummi sit camphora? &c.

§. XXXVI.

Cum, uti aliquoties jam monuimus, Camphora calido, vel & tepido saltem, aëri exposita mole decrescat & brevi penitus evanescat, ad præcavendam hancce jacturam varia Veteres ei semina odore expertia v. g. Milii, Sinapeos, Piperis & in primis Lini adjunxerunt, quod & hodie adhuc à quibusdam fit. Optime tamen & simplissime Camphora conservatur, si chartæ leviter involuta in cella frigida servetur, cum frigido aëri, etiam nuda, exposita parum vel nihil de pondere suo amittat.

§. XXXVII.

Supereft ut nonnulla de viribus Camphoræ medicis heic sub jungamus. Cum vero CEL. HOFFMANNUS in sua Dissertatione medica de usu Camphoræ interno securissimo & præstantissimo, pluresque alii fuse de iis egerint, summatim saltem eas recensere sufficiat.

§. XXXVIII.

Vires Camphoræ tribuuntur stimulantes, calefactientes, resolventes, discutientes, antisepticæ, antispasmodicæ, diaphoreticæ, diureticæ, nervinæ, antiepilepticæ, anthelminticæ, quibus etiam refrigerantes atque anodinas addunt,

dunt, quod quidem subinde sed rarius locum habere potest. Hinc in morbis inflammatoriis, erysipelate, febribus malignis exanthematicis, variolis, morbillis, peste, petechiis, purpura, scabie ad expellendum miasma adhuc in corpore latens vel retrogressum, porro in morbis nervorum, convulsionibus, deliriis, epilepsia, malo hysterico, mania &c. summo saepius cum effectu propinatur, ut tamen semper, uti omnia remedia heroica, prudentem Medicum ejus usus requirat. Laudatur etiam a CL. PRANGE in propria dissertatione Gottingæ a. 1759. defensa & aliis ejus virtus anthelmintica. Commendatur porro in vene-rea lue mercurio juncta, quæ ejus salivatoriam vim tollat, virtutem interim ejus dirum hocce malum tollendi ita non minuendo, ut potius augeat. Imo sola Camphora, prægressis purgantibus, morbum hunc aliquoties debellatum fuisse legimus.

§. XXXIX.

Externe etiam efficacissima est Camphora in discutendis & resolvendis tumoribus tam frigidis, quam ab extravasato curore ortis, ad avertendam ulcerum putredinem, ca-riemque ossium, in oculorum vitiis variis &c. spiritu vini soluta, aut suffitu, fomentis, sacculis, pulvere, unguentis &c.

§. XL.

Datur interne pro ætatis, sexus, temperamenti, morbi differentia ab uno grano ad 4 & 6 pro dosi in pulvere addito nitro vel sacharo, in emulsione, pilulis, electuarii &c.

Interea DIVINO NUMINI pro præstita mihi huc usque in studiis meis gratia sit Laus, Honos & Gloria in Sæculo-rum Sæcula.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

M Ale a plerisque Medicinæ Studioſis Ars Pharmaceutica negligitur.

2.

Quod etiam de Botanica dictum sit.

3.

Cognitio earum Stirpium, quarum vires medicas hactenus ignoramus, Medico æque necessaria est, ac cognitio Plantarum usualium.

4.

Imprimis autem cuivis Medico Patriæ suæ stirpes spontaneæ omnes debent esse cognitæ.

5.

Methodus plantarum vires per analysin chemicam indagandi maximis difficultatibus est obnoxia.

6.

Lithontripicum universale dari negamus.









